

GIORGIO DI MARIA

DE ALTERA BERNENSIS C 219, 1
SIVE DE CODICIS PARISINI LATINI 7709 PRIORE PARTE

Codicem Bernensem C 219, 1 (id est libri miscellanei C 219 partem primam) nihil aliud esse quam codicis Parisini Latini 7709 primum quaternionem qui ex illo exciderit, atque idcirco novum Ciceronis *Topicorum* integrum nobis suppetere testem, commentariolis nostris ostendere nobis proponimus. Quam rem fere pronam, ut ita dicamus, atque evidentem ob hanc unam causam duximus demonstrandam, quod adhuc non innotuit, cum codex ille Bernensis a Guilielmi Friedrich (1) temporibus (qui in Ciceronis opere edendo eum primus adhibuit) putatus sit hactenus mutilum neque ullo modo supplendum *Topicorum* nobis ferre textum.

Ante omnia utriusque codicis descriptionem praestat subiungere:

Codex Bernensis (Bernae in *Burgerbibliothek* sive *Bibliothèque de la Bourgeoisie* asservatus) C 219.1 membranaceus saec. XI (Munk Olsen) (2) cm. 29,7 × 20 foliis 8 constans continet

f. 1^r «nonnulla argumenti ecclesiastici (ni fallor) [...] quae ob putredinem hodie legi nequeunt» (Hagen) (3);

(1) «β reicht auf 8 pergamentblättern (29 cm. hoch, 20 cm. breit) bis zu den worten artis experts: in tes in § 73; der rest ist verloren gegangen» (W. Friedrich, *Zu Ciceros topica*, in «Jahrbücher für classische Philologie» CXXXIX (1889), pp. 281-296, p. 281) [quorum commentariorum consuetudinem quantum ad litterarum grandium minutarumque usum secuti sumus].

(2) Saeculo X-XI assignavit Hagen.

(3) Quo loco fortasse haud absurdum est coniectare excerptum ex Grillii *Commento in primum Ciceronis librum de inventione* esse agnoscendum, in quo, cum etiam de religionis iure disseratur, fieri potest ut «nonnulla argumenti ecclesiastici» visa sint latere. Fragmentum enim Grillii in codicibus quae et Ciceronis *Topica* et Boethii *Commentarios* continent haud raro invenitur, ita excerptum ut modo terminetur verbis *quidquid, inquit, omnes faciunt, non est industria, sed natura, modo rhetorica autem ars non est, sed civilis scientiae partis umbra* (cf. *Rhetores Latini Minores*, ed. C. Halm, Leipzig, 1863, pp. 596-597); quantum ad operum dispositionem cf. exempli gratia codicem Bambergensem M.IV.1 (ms. class. 13) saec. XI: Grill., *Comm., Top.*; Laurentianum Divi Marci 173 saec. XI: *Top.*, Grill.,

ff. 1^v-8^v Ciceronis *Topica* vicenis octonis aut vicenis novenis versibus in singulis paginis exarata. Incipiunt: *Maiores nos res scribere ingressos ·C· Trebati* (1, 1); terminantur verbis: *hec (er)go argum(en)tatio q(uae) dicitur artis expers* (4) *intes ...* (19, 73). Syllabam autem *tes* delendam esse punctis litteris *t* et *s* suppositis significatur. Ante initium *Topicorum* habet inscriptionem: *EPISTOLA ·M· TVLLII CICERONIS AD TREBATIV(M) IN TOPICA* (5); f. 2^v ante verba *<c>um* (6) *omnis ratio diligens disserendi* (2,6): *INCIP(IT) LIB(ER) TOPICARVM* (7); f. 3^v ante verba *<d>iffinitio* (8) - *oratio qu(a)e id quod deffinit(ur)* (5, 26): *DE DIFFINITIONE* (9).

Descripserunt H. Hagen (10), B. Munk Olsen (11).

Codex hic de bibliotheca Iacobi Bongars (12) origine fortasse Italicus (Munk Olsen), quem Lutetia Parisiorum (qua constat Bongars cum a publicis negotiis ad studia se conferret permultos secum tulisse libros) venisse coniecit Otto Homburger (13), postquam anno 1632 cum reliquis codicibus Bongarsianis librisque typis excussis Bibliothecae Bernensis in possessionem venit, saeculo XVIII (sicut e figura chartae eo tempore in custodiam codicis additae intexta colligitur) (14) cum duobus fragmentis Lutetia quoque profectis (quod casu an consulto evenerit dicere non possumus) atque uno Lugdunus Batavorum conglutinatus librum miscellaneum C 219 effecit, ita ut plenam Hermanni Hagen

Comm.; Coloniensem Bibliothecae Ecclesiae Cathedralis 198 saec. X: *Top.* (excerpta), Grill., *Comm.*; Lugdunensem Voss. Lat. F. 70 saec. X: *Top.*, Grill., *Comm.* etc.; Parisinum 7695 saec. XIV: *Top.*, Grill., *Comm.*; Sangallensem 854 saec. XI: *Top.*, Grill., *Comm.*; Vaticanum Urbinatem Lat. 328 saec. XV: *Top.*, Grill., *Comm.*

(4) *Expers* postquam idem librarius correxit, *expres* ante correctionem.

(5) Cf. codicem Edenburgensem ms. 18.7.17 f. 12^v: *epistola m(arci) tullii ciceronis ad trebatiu(m) i(n) topica*; codicem Parisinum Lat. 4696 saec. XII f. 25^r: *EPISTOLA M(ARCI) TVLLII CICERONIS ad trabaciu(m) i(n) topica*; codicem Parisinum Lat. 14699 saec. XI f. 100^v: *EPISTOLA MARCI TULLII CICERONIS AD TREBATIUM IN TOPICA*; codicem Vaticanum Lat. 8591 saec. XI f. 44^v: *EP(ISTV)LA M(ARCI) TULLII CICERONIS AD TREBATIUM IN TOPICA*

(6) *<c>* rubricatoris culpa omissum.

(7) Super *A* parvum *o* additum est, ita ut *topicorum* sit varia lectio.

(8) *<d>* rubricatoris culpa omissum.

(9) Eodem *Topicorum* loco similem inscriptionem habent codex Edenburgensis ms. 18.7.17, laud., f. 16^r: *INCIPIT DE DIFFINITIONE*; codex Parisinus Lat. 14699, laud., f. 113^r: *DE DEFINITIONE*.

(10) *Catalogus codicum Bernensium (Bibliotheca Bongarsiana)*, ed. et praefatus est H. Hagen, Bernae, 1875, p. 270.

(11) B. Munk Olsen, *L'étude des auteurs classiques latins au XI et XII siècles* (Documents, études et répertoires publiés par l'Institut de Recherche et d'Histoire des Textes), Paris 1982, t. I, p. 151.

(12) De qua v. *Catalogus* etc., ed. H. Hagen, laud., praesertim pp. XIV-XXVI.

(13) In adversariis manuscriptis quae in bibliotheca Bernensi servantur.

(14) Quam pro nobis vir doctus Christophorus von Steiger, manuscriptis Latinis Bernensibus praepositus, qua est humanitate summa acie inspexit. Cui, cum et alia plura de codicum Bernensium historia nobis patefecerit, iterum atque iterum oportet gratias agamus.

descriptionem (paucis rebus omissis) hoc loco subiungere nos oporteat:

«C219. Codex fragmentorum 4°.

*1, s. X-XI membr. f. 8 Ciceronis *Topica*, mutil. a fine.
[...]

Fol. 1^a olim nonnulla argumenti ecclesiastici (ni fallor) scripta fuerant, quae ob putredinem hodie legi nequeunt.

*2, s. XIV membr. f. 8.

a, f. 1^a-f. 3^b Annaei Flori *epitomae de Tito Livio* lib. IV fragm. Lib. IV, 11, 10 *nam pulcritudo intra pudicitiam* usque ad fin.

b, f. 3^b-f. 7^a *Periochae Titi Livii* I-VIII.

c, f. 8^b *Versus nonnulli Gallici*.

*3, s. XV chart. et membr. f. 11. Insunt picturae. Juvenalis *satirarum* fragmentum cum scholiis marginalibus, mutil. ab initio. [...]

*4, s. IX litt. anglosaxonicis membr. f. 12. Augustini *categoriae*, sine titulo, cum glossis. In fine nonnulla desiderantur».

Cum hunc integrum codicem sive eius omnes partes in catalogo suo J. R. de Sinner praetermisisset (15), asteriscis denotavit Hagen, cuius temporibus etiam signo C 219 instructus est liber (16). Cum autem in voluminibus Bernensibus recensendis Sinner etiam alia plura praetermiserit quae suis temporibus certe exstarent, ex hac re certe colligere nobis non licet fragmenta illa usque ad eius aetatem indigesta iacuisse (17). Fragmenta C 219.2 et C 219.3 e Collegio Navarrensi esse orta eorumque partes reliquas in bibliotheca Parisina (*Bibliothèque Nationale*) asservatas, ita ut codices Parisini Latini 17566 et 17902 factae sint, cum fragmenti C. 219.4 reliquiae Lugduni ut codex Vossianus 4° 2 serventur, iam diu compertum est.

Codex Parisinus (Lutetiae in *Bibliothèque Nationale* asservatus) Latinus 7709 membranaceus saec. XII (Munk Olsen) cm. 28,5x19,5 foliis 79 constans continet

(15) J. R. de Sinner, *Catalogus codicum manuscriptorum Bibliothecae Bernensis* (3 voll.), Bernae 1760-1772. De codicibus quos describere neglexit v. *Catalogus etc.*, ed. H. Hagen, laud., p. LVII.

(16) «Fasciculi AA 90, A 91 etc., C 219 - F 219 singulis schedulis, quae olim Bongarsii fuerant, repleti, quos Sinnerus neglexerat, nostra demum aetate hos numeros acceperunt» (*Catalogus etc.*, ed. H. Hagen, laud., p. X). Quod, cum codices Bernenses plerique omnes circa annum 1697 numeros accepissent (v. *Catalogus etc.*, ed. H. Hagen, laud., p. XLVI), haud nullius momenti est reputandum.

(17) Fragmenta indigesta haud pauca fuisse in bibliotheca Bongarsiana comperire nobis licet ab uno ex documentis ab H. Hagen allatis, qui inscribitur *Erinnerung die Bongarsische Bibliothec betreffend*: «III So sind noch übrig zwo kisten voll allerley tractetlin, Relationen, Zeitung- Schrifften: Item vngebundne Bücher, etliche defectuos: Welches alles erlesen, collationiert vnd das beste in die Libery gestellt werden sol» (*Catalogus etc.*, ed. H. Hagen, laud., p. XXXIII).

ff. 1^r-4^r Ciceronis *Topica* in foliis singulis vicens octonis aut vicens novenis versibus exarata. Incipiunt: *testimonio posita ÷. Testimoniu(m) au(tem) n(un)c dicim(us) om(n)e* (19,73); desinunt verbis: *ornam(en)ta queda(m) uoluim(us) n(on) debita acced(er)e* (26, 100). Post finem *Topicorum* haec fertur subscriptio: M. TVLLII CICERONIS TOPICA EXPLIC(IT);

ff. 4^r-78^v Boethii *Commentarios in Topica Ciceronis* ita exaratos, ut singulis foliis fere idem versuum numerus ac in *Topicis* contineatur; incipiunt: *Exortatione tua patrici* (18) *rethor(um) peritissime* (PL 64, 1039 D); finem habent verbis: *Talis est uis fortuitarum rerum* (PL 64, 1169 D) (19), haud secus ac in reliquis plerisque codicibus; *Commentariorum* inscriptio haec est: ANICII MANLII SEVERINI BOETII VIRI CLARISSIMI ET ILLV(STRIS) EX CONSVLV(M) ORDINE AD PATRICIVM S(YMMA-CHVM) (20) IN TOPICA M(ARCI) T(VLLII) C(ICERONIS) C(OM)MEMORARIORV(M) LIBER PRIMVS INCIPIT (reliquas inscriptiones subscriptionesque ante initium atque post finem uniuscuiusque libri positas, cum ad commentarios nostros parum pertineant, omittere nobis liceat);

f. 79^r tabulam de partitione logicae;

f. 79^v quaedam argumenti ecclesiastici de virtutibus sanctorum, quod ob litteras admodum parvas hic illic fere evanidas cernere nobis vix licuit.

Descripsit B. Munk Olsen (21).

Topica et *Commentarii* in hoc codice tribus manibus exarata videntur, quarum alia ita alii successerit ut non in medio quaternione, verum post unum pluresve integros quaterniones expletos scribendi munus susceperit. Ita factum est ut primus scriba primum secundumque quaternionem (ff. scilicet 1^r-16^v)

(18) Super verbum *patrici* parvum o additum.

(19) Quo loco animadvertendum est Patrologiam, sicut editionem Turicensem (laud., p. 388 vv. 19-20), verba habere *talis etiam fortuitarum rerum concursio est*.

(20) *Commentarios in Topica Ciceronis* iuveni Patricio de quo Cassiodorus in *Variis* (X, 6, 7), non autem patricio Symmacho socero suo, dicavit Boethius (qua de re cf. L. Oberello, *Severino Boezio* (Accademia Ligure di Scienze e Lettere, Collana di monografie, I), Genova 1974, vol. I p. 177 et n. 21) Non desunt tamen codices quorum inscriptiones ostendant librarios proprio Patricii nomine deceptos putavisse Boethium patricio Symmacho *Commentarios* dicasse. Quod in codicibus nonnullis (quorum cognationes adhuc penitus investigandae sunt) saeculo XI exaratis primo factum esse animadvertimus: Bambergensi M IV 1 (ms. class. 13) saec. XI (f. 1^r): ANITII MANLII SEVERINI BOETII VIRI CLARI & ILLVST(RIS) C(ON)SVL(IS) ORDINAR(II) AD SYMACHVM SOCERV(M) & PATRICIV(M) COM(EN)TVM IN TOPICA M(ARCI) TVLLII CICERONIS DE RETHORICA ARTE ET DE ALTERA INVENTIONE ET DIFFERENTIAR(VM) CAVSIS & ARGV(M)EN(TIS) OMNIV(M) RERV(M) NATVRALIVM; Bambergensi M V 13 (ms. class. 14) saec. XI (f. 21^v): ANICII MANLII SEVERINI BOETII V(IRI) C(LARISSIMI) ET ILL(VSTRIS) EX CONSVLV(M) ORD(INE) AD PATRICIVM SIMMACHVM IN TOPICA M(ARCI) TVLLII CICERONIS COMMENTARIORVM LIBER PRIMVS INCIPIT; Vindobonensi 2269 saec. XI (f. 111^r): ANITII MANLII SEVERINI BO(A)ETII VIRI CONSVLARIS ET ILLVSTRIS EX CONSVLIS ORDINARII AD PATRICIVM SIMMACHVM IN TOPICA MARCI TVLLII CICERONIS COMMENTARIORVM LIBER PRIMVS INCIPIT.

(21) B. Munk Olsen, op. laud., t. I, pp. 263-264.

exararet, qui *Topica* continent (ut iam notavimus) a verbis *testimonio posita* ÷. *Testimonium au(tem) n(un)c dicim(us) om(n)e* usque ad finem *Commentariosque* ab initio usque ad *diffinitione argum(en)tu(m)*. *Qu(a)e diffinitio in ipso t(er)mino est* (PL 64, 1059 B); secundus tertium (ff. 17^r-24^v) a verbis *de quo agitur & eius termini totum* (22) (1059 B) usque ad *quidam igitur extremo iudicio fabiae uxori legavit* (1071 B), quae verba quaternionis huius postrema facta sunt ex quo, cum f. 24 inferiore parte mutilatum esset, in f. 24^v pauca ultimi versus manserunt vestigia; tertius denique, cum a verbis *uxoris ·i· est materfamilias e(ss)et, Queritur an* (1071 C) scribere coepisset, quartum reliquosque quaterniones (f. 25^r-78^v) exarans usque ad finem *Commentariorum* processit.

Undenam quoque tempore codex hic bibliothecae Parisinae, olim Regiae, in possessionem venerit scire nobis non licet; constat tamen, cum tegumentum insigne Caroli IX regis habeat, codicem ante annum 1574 inibi fuisse eaque in bibliotheca numeris (23) 1877 (Rigault) anno 1622, 2061 (Dupuy) anno 1645 atque 5356 anno 1682 (quo nomen ei inditum est Regio) instructum esse (24).

Nunc autem ad opinionem nostram propugnandam videamus an pars Bernensis cum Parisina omnibus rebus perpensis apte congruenterque coniungi possit.

Quod pertinet ad rem codicologicam, quam dicunt, folia Bernensia *Topicorum* integro quaternione constant, qui codici Parisino, cuius primi quaternionis membranis nihil deest, in initio optime addi potest, ita ut post f. 8^v partis Bernensis, in quo syllabam *-tes* expunctam esse iam diximus (25) (cuius expunctionis ratio ita innotescet), folium quod in parte Parisina numerum 1^r fert suo loco continenterque legi possit (paginarum discrimen signo / denotamus): *hec (er)go argum(en)tatio q(uae) dicitur artis expers in / testimonio posita* ÷. *Testimonium au(tem) n(un)c dicim(us) om(n)e* [...]. Praeterea manifeste apparebit alteram partem ab altera neque magnitudine foliorum neque versuum numero (si *Topica* consideremus *Commentariosque* Boethii in ea) neque scriptionis dispositione ullo modo abhorre; qua in re una tantum difficultas videtur oboriri, quod codex Parisinus, uti nunc se habet, magnitudinis paulo minoris est; si tamen dispositionem adnotationum a β³ (de quo infra) adpictarum inspicias (26), quae Bernae in mediis marginibus, Lutetiae autem sunt in extremis (nisi plane obtruncatae), margines eius resecatas esse tibi persuadebis. Inter grandes ornatasque sex litteras diversimode delineatas quae in codice Parisino uniuscuiusque libri *Commentariorum* signant initium duae sunt quae ob

(22) ÷ super *totum* habet.

(23) Qui in capite f. 1^r apparent.

(24) Quibus de rebus certiores nos fecit domina Maria P. Laffitte, codicibus Parisinis regionum occidentis praefectus, cui nobis plurimae agenda sunt gratiae.

(25) V. supra, p. 14.

(26) Liceat nobis hoc siglo uti, cum Guilielmus Friedrich codicem Bernensem littera β denotaverit.

magnam evidentemque ductus ornatusque similitudinem litteram quam Bernae in initio *Topicorum* delineatam videmus nobis in mentem revocent: litterae igitur *E* (f. 4^r) atque *D* (f. 60^v) codicis Parisini cum *M* (f. 1^v) Bernensis comparandae, quae nullis coloribus illitis omnes foliis simillimo modo denticulatis vel intus frondescunt vel in extremis. De scripturae dispositione nos non latet certius aliquid afferendum esse (27):

	Bernae (f. 7 ^r)	Lutetiae (f. 3 ^r)
prima folii linea (28) iuxta litteras ducta a postrema distat (cm.)	20,2	20,0
paenultima ab ultima	0,6	0,8
lineae a summa ad imam paginam scripturae ordinandae causa decurrunt	quattuor	quattuor
prima distat a secunda (cm.)	0,6	0,6
secunda a tertia	13,2	12,8
tertia a quarta	0,6	0,6

Qua in re hoc omnes suscepturos putamus, nullam esse discrepantiam inter Parisinam partem atque Bernensem quin in uno eodemque codice soleat inveniri. Quin etiam, cum lineae ad perpendicularum versuum ductae haud aequis intervallis distantes decurrant, spatia alio eorundem foliorum loco plerumque nobis sufficere metiri ut omnia prorsus congruant.

Quantum ad rem palaeographicam, quae appellatur, spectat, si litterarum formas ductumque observaveris, intelleges nullum partis Parisinae scribam eundem fuisse qui Bernensem exaraverit (de scribis dicimus qui textus exaraverunt, non de iis qui adnotationes correctiones varias lectiones passim in ambas partes addiderunt), quam rem minime obstare quin unus idemque putandus sit liber: nos enim iam animadvertimus in codice Lutetiae asservato solitum fuisse ut scriba alius post unum alterumve quaternionem expletum alii succederet: quid igitur vetat quominus id etiam intra primum secundumque (integri libri) quaternionem evenerit? De reliquis (duobus tribusve) scribis qui singuli et Bernensi et Parisina in parte apparent codicem tunc temporis unum notulis correctionibusque haud paucis ad *Topica* necnon ad *Commentarios* instruxisse nulla nobis dubietas erit abstergenda:

β¹, qui aut ipse librarius est aut aequalis eius quidam, cuius scriptio adeo

(27) Teste B. Munk Olsen, op. laud., t. I p. 151 (de codice Bernensi) et p. 263 (de Parisino).

(28) Quae omnes lineae sicco stilo, nullo addito atramento, ductae sunt.

similis fuerit ut eam certe dinoscere non valeamus, verba memoratu digna, quae velut index ad inveniendas res in *Topicis* pertractatas lectorem quasi ducerent, in marginem externam transposuit, nonnullas breves explicationes intra lineas addidit paucasque varias lectiones; iuxta verba *ualeat equitas quae parib(us) in causis paria iura desid(er)at* (4, 24) Boethii *Commentariis in Topica Ciceronis* fretus notavit: *hucusq(ue) uictorin(us)* (29);

β^2 alia notabilia pauca in margines transposuit; praeterea β^1 aut β^2 locos in quos legentes mentem intendere voluit signavit signo quod, cum forma ampliore delineatum sit, velut ligaturam litterarum *N*, *O* et *T* cui *a* apertum superstet nobis videtur interpretari posse, adeo ut ab inferiore parte 'nota' legendum sit; quod signum minime consuetum passim et Bernae et Lutetiae (ubi et in *Topicis* et in *Commentariis*) pluries invenitur;

β^3 , qui ad aetatem humanarum litterarum, quae dicitur, pertinuit, nonnullas addidit doctas notationes litteris Gothicis manu valde singulari exaratas, in quibus Chalcidius in *Timaeum*, Victorinum, Martianum Capellam, Isidorum Hispalensem Cassiodorumque laudat, quorum libros haud raro indicat; qui, cum in ambobus partibus, ut reliqui, facile agnoscatur, nobis testis est codicem ante saeculum XIV divisum non esse.

Nobis autem fatendum est Bernae scribam qui incubuit in textum exarandum paulo antiquiorem posse videri eis qui apparent Lutetiae, quod doctum virum B. Munk Olsen usque eo adduxit, ut codicem Bernensem XI, saeculo XII Parisinum, ut scripsimus, tribuerit. Bernensi enim in parte litteras delineans magna licentia fruitus est librarius, cum scribae Parsinae partis certioribus regulis astricti essent, quibus evenit ut Lutetiae capita minutarum litterarum alteram superiorem lineam cui subscriptae sint quodammodo adumbrent, ut ibi praesertim cautum videatur ne litterarum lineae varie descenderent, ex quo pendet ille circa litterarum caput fractus ductus, dum ad laevam caesus calamus probabiliter incipit adhiberi (30). Cum autem multa sint et exposita et adhuc

(29) *Commentarios Victorini in Topica Ciceronis*, quae Boethii temporibus adhuc exstant, ante aetatem quam dicunt Carolinam periisse arbitrandum est. Propterea necesse est scribam Boethio teste usum esse: *Neque [...] expositio [sc. Victorini] [...] eum transscendit locum qui est: 'ualeat aequitas quae paribus in causis paria iura desiderat'* (*Commentarii in Topica Ciceronis*, PL 64, 1041 D). (=M. Tullii Ciceronis opera quae supersunt omnia, vol. V.1: *M. Tullii Ciceronis scholiastae [...]*, edd. Io. Casp. Orellius et Io. Georgius Baiterus, Turici, 1833, p. 271 vv. 8-11).

(30) Quibus de rebus perite scienterque scripsit A. Petrucci: «Con la seconda metà del secolo XI comincia ad affermarsi, soprattutto in Francia, Inghilterra e Germania, l'uso di un nuovo strumento scrittorio, la penna con taglio obliquo a sinistra, che muta radicalmente il tratteggio della scrittura, rendendo il chiaroscuro non più fluido e continuo, ma come diviso in tanti brevi tratti tracciati l'uno di seguito all'altro. [...] Nello stesso periodo, anche nelle zone e negli ambienti in cui il nuovo strumento scrittorio non è ancora adoperato, si vengono precisando meglio le tendenze di stile già notate per i decenni precedenti

exponenda quae nobis persuadeant ut ambas partes arbitremur codicem unum effinxisse eundemque hac de causa totum uno tempore exaratum, difficultatem nobis ita solvendam credimus, si coniciamus post medium saeculum XI vel saeculo XII ineunte (tempore scilicet quo scribendi genus mutaretur) scribam antiquioribus adhaerentem rationibus Bernensem quaternionem, attamen scribas nova experientes scribendi genera reliquam partem exaravisse. Quod fieri potuisse A. Petrucci prudentissimis monet verbis: «Occorre tenere presente che in questo, come e più che in altri periodi della storia della scrittura latina, diversità di forme grafiche può significare, anziché divario cronologico, lontananza geografica, cioè diversità di ambiente e di scuola. Inoltre, che la presenza di particolarità grafiche evidentemente conservatrici o comunque abnormi può essere dovuta alla diretta influenza dell'esemplare, o a vezzo dello scriba, e non costituisce perciò criterio di datazione» (31). Antiquarum autem scripturarum peritis, quorum ad officium pertinet hac de re ultimam dicere sententiam quosque ad iudicium ferendum ipsi elicimus, magis placeat fortasse dicere codicem Parisinum post nonnullos, etsi haud multos annos eo consilio exaratum esse, ut textus quaternionis nunc Bernae asservati expleretur, atque idcirco, ut pars nova alteri optime congrueret, librariorum studuisse ut formam foliorum, scripturae dispositionem ceteraque omnia quantum possent imitarentur, correctores emendatoresque supervenisse post partes coniunctas. Quod fieri potuisse, si proponatur, quomodo certe negemus? Nobis autem dicendum sit hoc quam quod maxime ad credendum esse difficile, cum omnia verisimillime ex uno eodemque anti-grapho in ambas partes descripta sint. Si enim errores codicis Bernensis-Parisini (quem totum exinde uno siglo β designare nobis liceat) in *Topicis* cum erroribus codicum ante saeculum XII exaratorum conferamus, facile animadvertetur codicem β saepe cum Bambergensi ms. class. 14 (atque omni remota dubitatione cum codice ex eo descripto (32) Vindobonensi 2269, cuius lectiones non indicabimus), saepius cum Parisino 14699 atque Edinburgensi ms. 18.7.17 (omnibus saeculi XI) consentire quodque sine ulla mutatione per tota *Topica* fieri (quorum capita 1-73a, Bernae asservantur, Lutetiae 73b-100). Hac quidem de re non tantum errores nobis sint argumento, verum etiam rerum dispositio, ad quam pertinent inscriptiones subscriptionesque quas supra (33) notavimus.

e si regolarizza o si diffonde l'uso di nuove forme grafiche e di nuove abitudini ortografiche, che ben si prestano a costituire elemento di datazione. In funzione di alfabeto maiuscolo comincia ad essere adoperato [...] un alfabeto misto, costituito da lettere di tipo capitale rustico e di tipo onciale [...]» (A. Petrucci, *Censimento dei codici dei secoli XI-XII: istruzioni per la datazione*, in «Studi Medievali» III s. IX 2 (1968), pp. 1121-1122).

(31) A. Petrucci, *Censimento*, laud., pp. 1115-1116.

(32) Quantum ad *Topica* (una particula autem excepta) et *Commentarios*; sed de his rebus alibi.

(33) P. 14 n. 5, n. 9, p. 16 n. 20.

Nunc autem ad errores transeamus. In quibus recensendis his siglis utemur:

- β** Codex Bernensis C 219 saec. XI-XII, Codex Parisinus Lat. 7709 saec. XI-XII
E Codex Edenburgensis adv. ms. 18.7.17 saec. XI [mutilus, continet usque ad *notatione eliciuntur ex verbo, ut**** (8, 36)]
B₁ Codex Bambergensis ms. cl. 14 saec. XI
 B_{1a} textus continenter (ff. 1^v-18^v) exaratus
 B_{1b} textus *Commentariis* Boethii (ff. 21^r-174^r) (34) interiectus [continet usque ad *quoddam multitudinis testimonium**** (20, 76)]
P Codex Parisinus Latinus 14699 saec. XI

ac, pc ante, post correctionem

ar, pr ante, post rasuram

aex, pex ante, post expunctionem

vl varia lectio

. littera erasa

In erroribus codicis **β** exscribendis lectiones quas iisdem locis codices **B₁** **E** **P** ferunt (sive consentiunt sive in alias lectiones discedunt) subiungere non neglegemus; eos autem errores praeteribimus qui ad scribendi tantum rationem pertineant eosque qui, cum omnibus (vel fere omnibus) codicibus communes sint, ad codices coniungendos aut minimum aut nihil valeant.

Nos tamen non latet huiusmodi collationi non eandem vim fore ac si reliquorum vel omnium vel plerorumque codicum plenae quibusque possit confidere lectori praesto essent collationes. Cum autem res prorsus aliter se habeat neque hic sit locus quo de plurimorum codicum lectionibus rationem reddere nobis liceat, nobis indulgeatur quod res ita nobis erit breviter absolvenda:

(p. 2, v. 2 ed. Wilkins) (35) satis *ante digniores posuerunt β E P* (2, 7) pluribus] plurimis **β E P** (2, 17) ex te **β^{vl}**] a te **E P**, ante **β** (3, 2) suavitate] suavitatem **β** (3, 8) testis] tesus **β** (3, 11) ne si **P^{ar}**] nisi **β B_{1a} B_{1b} P^{pr}** *pauci* (3, 12) tuaque] tuamque **β**, tua **P** (3, 14) haec *om.* **β E P** (3, 29) rerum *om.* **β pauci** (3, 30-32) demonstrato - aristotele sunt *om.* **β** (4, 3) faciat] facit **β B_{1a} E** (4, 5) tum] cum **β** (4, 6) quae *om.* **β** (4, 19) *post* lex *habent* aelia sententia **β B_{1a} B_{1b} P^{ac}** (*deletum β*), aelia sanctia **E**, sanctia **β^{vl} P^{pc}**, *alii aliter* (4, 28) aut (apud **β**) parium aut minorum] et minorum alia parium **E**, alia parium vel minorum **P** (5, 1) qua] quo **β** (5, 3) a genere] agnem **β** (*in margine autem recte scripsit β¹*) (5, 3) Quoniam *om.* **β** (5, 18) non] num **β** (5, 21) nominibus] omnibus **β pauci** (5, 23) debet] debeat **β** (5, 31) puerorum] puerulorum **β E pauci**, parvulorum **β^{vl} B_{1a} B_{1b}** (6, 7-8) paterfamilias] patrefamilias **β** (6, 9) amittet] admittet **β** (6, 13) ab efficien-

(34) *Commentarii* f. 175^v ad finem perveniunt.

(35) M. Tulli Ciceronis *Rhetorica*, recognovit brevique adnotatione critica instruxit A. S. Wilkins, t. II: [...] *Topica* (Scriptorum Classicorum Bibliotheca Oxoniensis), Oxonii, 1903. Paginas ab initio *Topicorum* ita computavimus, quasi quae siglorum continet conspectum numerum 1 ferat.

tibus rebus] a causis efficientibus β B_{1b} , ab efficientibus causis B_{1a} (6, 15) sed qui] at si quis β P E (6, 19) posset] possit β E P *pauci* (6, 24) reguntur] regantur E B_{1a} B_{1b} P *plerique omnes*, regnantur β (6, 25) contra] econtra E P , et contra β (7, 4) quod] quantum β E B_{1a} B_{1b} P *pauci* (7, 15) persequamur] persequantur β P (7, 18) *ante* duo *habet* sunt β P , *post* duo E (7, 22) vobis β^{vl}] nobis β E P (7, 28) in argumentando β^{vl}] in argumentandi β P , etiam (*per compendium*) argumentandi E (7, 30) *ante* divisionum *habent* sunt β E P (8, 5-6) quod definitur] quae definitur β B_{1a} B_{1b} (8, 6) rei] regi β (8, 9) nihil β^{vl}] non β E B_{1a} B_{1b} (8, 10) veteres] ventres β (8, 14) haec] hoc β E B_{1a} B_{1b} P (8, 22) confectum] confecta β B_{1a} B_{1b} (8, 26) servitutum] servitute β B_{1a} B_{1b} E P (8, 31) partitionum] partitionum β (8, 31) esset] est β (8, 32) planius] planis β (9, 2) formae] formarum β B_{1a} B_{1b} *post* formae *habet* sunt E (9, 2) haec] hoc β B_{1a} B_{1b} (9, 4) dicendo β β^{vl} P^{pc} (β *enim supra lineam habet notationem* `vel di', *quam variam lectionem patet e codice qui docendo scriptum habuerit transpositam esse*)] docendo P^{ac} *nonnulli* (*quarum rerum causam antigraphum variis lectionibus praeditum putamus subesse*) (9, 13) et β P^{pc}] ex β^{1vl} B_{1a} B_{1b} P^{ac} (9, 13) *ante* cognitio *habent* forma β B_{1a} B_{1b} P E *nonnulli* (9, 18) *ante* non *habet* et β (9, 24) qua B_{1b}^{pc} P^{pr}] quia P^{ar} , quo β , quod B_{1b}^{ac} (9, 26) velit] veliter β (9, 29) partitione E^{pc}] partione β E^{pc} (9, 29) tum sic] sic β B_{1b} E P (10, 1) in re] ire β (10, 7) ornamentis] ordinamentis β (10, 9) quid] quod β P *pauci* (10, 10) partitionem β^{pc}] partionem β^{ac} , partitione E (10, 11) enim] *om.* β (10, 13) notatione] notationem β (10, 15) appellant] vocant β E P [*post verba* notatione eliciuntur ex verbo, ut (10, 21) *deficit* E] (10, 21) cum *om.* β (10, 23) quae] quoniam β (10, 24) frenos β^{vl}] frena β P *varia lectio in paucis codicibus* (10, 27) *ante* illud *habent* post β B_{1a} B_{1b} P (*erasum* B_{1a} P) (10, 31) *post* alienata *habet* sunt β , *add.* sunt P^1 *ut videtur* (10, 32) *ante* ex *habet* et β , *add.* et P^1 *ut videtur* (10, 32) exierint] exier~ β (10, 32-11, 1) hinc ea] et ea β^{vl} B_{1a} B_{1b} *nonnulli*, hinc β P (11, 4) donationem] donatione β (11, 6) eis *om.* β (11, 7) ad id] adit β (11, 9) ex coniugatione B_{1b}^{pc}] ex coniunctione B_{1b}^{ac} *nonnulli*, ex coniuntione β (11, 18) crescit imbri *om.* β (11, 20) eius] ei β (11, 23) persequare] persequar ego β , persequor ego B_{1a} B_{1b} (12, 5) qui] quis β (12, 6) appellatur β^{ac} P^{pc}] appelletur β^{pc} P^{ac} *plerique omnes* (12, 9) una *om.* β (12, 18) isque] usque β (12, 19) obtinuissent] obtinuisset β B_{1a} B_{1b} *alii pauci*, optinuissent P^{ar} , optinuisset P^{pr} *post* obtinuisset *habet* et cetera β (12, 21) Ficta] facta β (12, 21) similitudinis] similitudines β B_{1a} B_{1b} (12, 22) habent vim] habentium β B_{1a} B_{1b} *nonnulli* (12, 22) vestra] vestram β (12, 25) id] ad β (12, 26) *ante* obligavit *habet* non β (12, 28) muta P^{pr}] multa β B_{1a} B_{1b} P^{ar} *nonnulli* (13, 2) ducuntur] dicuntur β (*per compendium*) *pauci* (13, 5) quod *om.* β (13, 6) *ante* auctore *habent* aut β B_{1a} B_{1b} (13, 7) pupillo] pupillae β P (13, 7) pupillae] pupillo β P (13, 7) debeas] debeat β (13, 11) propositis] prepositis β

(13, 16) contraria sunt] contrarias β (13, 18) praeposito] praepositio **P** pauci, proposito β (13, 19) ante dignitas habet ut β **P** (13, 24) illa] alia β **P** (13, 25) contraria] e contrario β (13, 26) aientibus **B_{1a}^{pc}** **P^{pc}**] agentibus **B_{1a}^{ac}** **B_{1b}** **P^{ac}** nonnulli, agentibus β (13, 27) intellegatur] intelligantur β **P** nonnulli (14, 2) quid] quod β (14, 3) quid] quod β (14, 5 II) quid] quod β (14, 5) post] potest β (14, 7) ut] aut β (14, 10) videre] videar β **B_{1a}** **B_{1b}** (14, 16) ante si habent et β **B_{1a}** **B_{1b}** (14, 31 - 15, 2) utrum - argentum om. β (15, 2) est om. β **P** nonnulli (supra lineam velut glossam habet **P**) (15, 5-6) Non et legatum argentum om. β (15, 14) ut] aut β (15, 17) quod omnis] quod non omnis β **P**, quia non omnis β^{vl} **B_{1a}** **B_{1b}** (non supra lineam **B_{1b}¹** ut videtur), alii aliter (15, 17 II) non om. β **B_{1a}** **B_{1b}** **P** plerique (15, 24) meritam] merita β (15, 25) autumas] estimas β **P** nonnulli (15, 30) sententiis] sentiis β (16, 12) tota fere] tota ferme β (16, 16) paulo] peraulo β (per compendium β) (16, 18) enim β^{vl}] igitur β **P**, autem β^{vl} (16, 19) eam vim] ea vi β **B_{1a}** **B_{1b}**, ea **P** (16, 20) non h. sed] habet et β **B_{1a}** **B_{1b}** **P^{ac}** plerique, habeat et **P^{pc}** (16, 28) amor] amori β (16, 29) fatum] factum β , factum **P** (17, 7 I) causa] causam β (17, 10) afferre non fere] auferre non ferre β **P** (aulectionis incertae, fere ante correctionem, ferre post correctionem, non fere maxima parte in margine **P**) (17, 12) enim β^{vl}] autem β **P** (17, 16) nemore] emore β (17, 17) accidissent] cecidissent β **B_{1a}** **B_{1b}** **P** nonnulli, alii aliter (17, 22) ut] aut β (17, 28) natura] notam β (17, 30) nec quidquam] nequicquam β (17, 31) inest **P^{pc}**] est β **P^{ac}** (18, 7) ante ea habent ut β **B_{1a}** **B_{1b}** (expunctum **B_{1a}**) (18, 8) sunt] sint β **B_{1a}** **B_{1b}** **P** plerique (18, 21) at] aut β **P** (additum videtur **P**) (18, 24) consilia] consilio β **B_{1a}** **B_{1b}** (18, 26) iudiciis] iudicis β (18, 26-27) ubi vero etiam om. β (18, 27) agier] agere **P^{ac}**, agi β **B_{1a}** **B_{1b}** **P^{pc}** alii aliter (18, 28) eius] eis β **B_{1a}** **B_{1b}** **P** (expunctum **P**) nonnulli (18, 29) aequius melius] m. aequus β , m. a. **B_{1a}** **B_{1b}** **P^{pc}** plerique, m. aequitatis **P^{ac}** (18, 29) eis om. β **B_{1a}** **B_{1b}** **P** nonnulli (18, 30) quid **B_{1b}²**] quod β , qui **B_{1a}** **B_{1b}** (19, 10) cum om. β (19, 20) late] leta β (19, 22) quae] qui β (20, 8) submissionem β^{vl}] summissa est β **P** (20, 13) igitur bis, in utraque sententia β **B_{1a}** **B_{1b}** **P** (prius scripserunt **B_{1a}¹** **B_{1b}¹** ut videtur, alterum **B_{1a}** **B_{1b}**, ut videtur, prius supra lineam **P**) (20, 14) profectus sis] profecto sit β **B_{1a}** **B_{1b}** (20, 15) formis] forma β (20, 18) parium] partium β **P^{pc}** (in rasura **P^{pc}**) [(20, 21) ante verbum testimonio pars Bernensis deficit incipit Parisina β] (21, 3) maxima **B_{1a}^{ac}** **P^{ac}**] maxime **P^{pc}**, maximae β **B_{1a}^{pc}** (21, 10) videntur] videnter β (21, 13) ante aut habent usus β **B_{1a}** **B_{1b}** (21, 26) Staieno] statieno β^{vl} , stainerio **B_{1a}** **B_{1b}** **P**, stagerio β (21, 26) ea om. β (22, 11) aerii] aeris β pauci (22, 11) volatus] volutus β (22, 21) rentur β^{pc} **B_{1a}¹** **P^{pr}**] videntur **B_{1a}**, viderentur β^{ac} **P^{ar}** (22, 31) ante genera habent sunt β **P** (22, 33) post nos habet autem β (23, 2) negotiis] negotii β (23, 6) earum β^{vl}] eorum β **P** (lectionis incertae **P**) (23, 7-8) quaestionum autem quacumque de re sunt duo genera] quae. a. quac. de r. sint duo sunt g. β **P^{pc}** (id est postquam ordo resti-

tuendus litteris appositis indicatus est), quae. a. quac. de r. sint duo g. sunt B_{1a} nonnulli, quac. a. de r. sint quae. duo s. g. P^{ac} (23, 20) ecquidnam] et quidnam $\beta B_{1a} P^{ac}$ nonnulli, ut quidem P^{pc} (23, 20) ecquid aequum] et quid aequum βP , et quid aequum vel quae B_{1a} (24, 1) partitio] partio β (36) (24, 1) triane] tria βB_{1a} *suppl. idem* B_{1a} (24, 7) ante iniquo *habent* de β nonnulli (24, 9) et alio] ad alium β alio *om.* B_{1a} *add.* B_{1a}^1 (24, 11) si] *om.* βP (24, 15) et alio] ad alium $\beta B_{1a'}$ et de alio *in margine* B_{1a}^2 (24, 15) adsentatorem] assentorem β (24, 15) ante regem *habet* inter β (24, 18) actionis P^{pc}] actiones $\beta B_{1a} P^{ac}$ nonnulli (24, 25) restringens β] restringens β^{vl} pauci (24, 26) I) tum] tunc β (24, 28) in causas] causa β (24, 30) sint] sunt βP (25, 10) antecedit] accedit β (25, 11) huius B_{1a}^{pc}] huic $\beta B_{1a}^{ac} P$ (25, 22) colligentur] colliguntur βP (conl- P) (25, 24) sui cuique] suique β (cui *supra lineam*), sui $P B_{1a}$ *suppl.* B_{1a}^1 , nonnulli (25, 26) firmata] confirmata βP (conexpunctum P) (26, 4) post expositae *habet* sunt β (26, 8) quaeque] quoque βP (26, 8) instruuntur] instituuntur $\beta B_{1a} P$ (26, 15) vocetur] vocatur βP (expunctum P) (26, 18) Latine B_{1a}^{vl}] lat~ β , litis B_{1a} (26, 21) negantur] negant β (26, 24) existit] existet β (27, 3) agitur] agetur β nonnulli (27, 9) alii quasi B_{1a}] aliqui $P^{pc} B_{1a}^{1vl}$, aliquis β (27, 9) appellentur B_{1a}^{pc}] appellantur $\beta B_{1a}^{ac} P$ nonnulli (27, 10) legem dicere B_{1a}^1] lege dicere β , lege dici *ut videtur* B_{1a} (27, 12) ut] aut $\beta B_{1a}^{ar} P^{ac}$ nonnulli, et P^{pc} (27, 13) possint B_{1a}^{pr}] possunt $\beta B_{1a}^{ar} P$ pauci (27, 29) sequitur B_{1a}] consequitur βB_{1a}^1 pauci (27, 31) post est *habet* autem βP (expunctum P) (28, 1) omni ratione P^{pex}] oratione β , omni oratione P^{aex} (28, 4) affecti iam ante sint] i. affecti an. sunt β , i. af. an. sint $B_{1a'}$ i. af. sunt an. P (28, 4 I) aut *om.* $\beta B_{1a} P$ (aut *add.* B_{1a}^1) (28, 13) rutis] ruptis β , ratis P (28, 15) videatur] videantur β .

Praeterea alia sunt quae, etsi minoris momenti, ad coniungendos codices valeant:

(3, 22) quidem videtur aristoteles] v. q. a βE , v. a. q. P (7, 15) *habet membra*] m. h. βE (8, 17-18) teneri pecuniae mortuorum] p. t. m. B_{1b} (*signis appositis verborum ordo restituendus indicatur*), t. m. p. $\beta E P$ (8, 23) inter se qui] q. i. s. $\beta B_{1a} B_{1b}$ (10, 9) est enim infinitior] en. in. est $\beta E B_{1a} B_{1b}$ (11, 1-2) redisse videantur] v. r. βP (reddisse β) (14, 28) locus simplex est] l. e. s. βP , s. e. l. $V_{1a} B_{1a} B_{1b}$ (14, 30) argentum omne] o. a. βP (15, 12) concludendi modus] m. c. βP (18, 12) subicitur ille] i. s. βP (19, 5) locus ante ille *posuerunt* βP (20, 26) haec ita ad te: a. t. h. i. βP (21, 14) est enim vis] en. est v. $\beta B_{1a} B_{1b}$ (21, 1) fidem enim faciendam] fa. e. fi. βP (24, 23) laudem ad gloriam] g. ad l. βP .

Ex quo conspectu manifeste apparet codici β et in altera parte illam quam

(36) Quam scribendi rationem huius codicis propriam in parte Bernensi iam pluries vidimus, cf. supra.

in priore advertimus esse affinitatem cum codicibus **B₁ E P**, quae nobis persuadeat etiam ad philologiam quod pertinet codicem unum esse habendum (37).

Editione hac electronica typhotetarum menda tria correximus:

p. 20 ll. 19-20: di-| spositionem > dis-| positionem

p. 21 l. 17: lectiones quae > lectiones quas

p. 23 l. 32: **B_{1b}** > **B_{1b'}**

(37) Restat ut hoc loco gratias agamus doctoribus Silvanae Barreca, quae manuscriptis Panormitanis bibliothecae Siciliensis (*Biblioteca Regionale Centrale*) diligenter servandis subtili praeest doctrina, et Antonino Perniciario, praestanti scientia praeditis et rei palaeographicae singulariter peritis, quibus de quaestionibus ad eam pertinentibus (praesertim de librariis qui textus exaraverunt via ac ratione dinoscendis) ducibus usi sumus.